

05

A

1209

69

Q. D. B. V.
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE


INSTRUMENTO,

Quam
publico submitunt examini
PRÆSES

M. JACOBUS TENTZELIUS,

ET RESPONDENS
VALENTINUS HUBSCHTODE/
Thuringi.

In Auditorio Minoris
d. 1. Octobr.



WITTEBERGÆ, TYPIS JOHANNIS HAKEN,
M DC LI.

1077



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
INSTRUMENTO



M. JACOBI VALENTINI
VALENTINI

1209 A 50



WITTEBERG, TABIS JOHANNIS HALLA
M. D. C. C. C. C.





J. S. N. J.

DE INSTRUMENTO

Disputatio Metaphysica.

THESES. I.

Usu satis frequentata in Metaphysicorum scriptis est distinctio causæ efficientis in principalem & instrumentalem, cujus posteriori membro communi usu æquipollet *instrumentum*, ita ut instrumentum & causa instrumentalis tanquam Synonyma indifferenter usurpentur. Nos ijs, quæ de eo, an legitima sit hæc distinctio, ac de causa principali adduci possent, hæc vice missis, naturam instrumenti breviter, in quantum à nobis fieri poterit, explicabimus.

Th. 2. Ubi ante omnia notandum, quod vox instrumenti *πολλὰχῶς λέγεται*. Vocari enim solent instrumenta. 1. causæ secundæ respectu primæ, Dei. Verùm rectè improprium *Svarez* vocat hunc sermonem, quamvis enim virtute saltem communicatâ, eâ tamen sufficiente in suo genere, nec ut ab alio elevetur, opus habente, causæ secundæ agunt. 2. Instrumentum dici potest omne id, quod alterius loco substituitur, vel ab alio dirigitur ad producendam actionem, quæ acceptio frequens in moralibus est. E.g. Servus vocatur *ὄργανον πρὸς ὄργανων*, *instrumentum ante instrumenta* Domini sui à *Philosopho l. 1. Polit. c. 4.* quia in actionibus suis dirigitur à Domino, & in locum ejus substituitur. Atq; hoc modo acceptum instrumentum nobilius esse potest actione seu effectu ad quem producendum dirigitur. 3. Instrumentum quoq; vocatur omne id, quod aliquid habet ut operetur, nec tamen est suppositum. Sic instrumentum vocari potest omnis virtus superaddita supposito, ut & partes corporum organicæ. 4. Instrumentum quoq;

A 2

VOCAT

vocatur disciplina vel habitus instrumentalis, qui totus propter aliud expetitur, sicuti Logica instrumentum est philosophiæ. Sed hæc acceptiones non sunt hujus loci.

Th. 3. Sumitur ergò 5. vox instrumenti pro eo quoq; *quod ab alio movente & dirigente elevatur ad effectum efficiendum suâ virtute superiore, seu, quem propriâ virtute solâ producere nequit.* Et hæc est hujus loci acceptio, ubi agitur de efficiente instrumentali, quatenus contradistinguitur principali, quæ nihil est aliud, quam illa efficiens, quæ per virtutem vel nobiliorem, vel saltem æquè nobilem cum effectum, influit in effectum producendum.

Th. 4. Hoc autem modo acceptum instrumentum an & qualis sit causa, ulterius disquirendum. Quâ de re *Fr. Piccolom.* l. 2. Phys. p. 292. & instrumentum non esse propriè causam, imò ei repugnare, esse causam, & redigi seu reduci illud ad efficientem, non quidem ut causam, sed ut famulum tantum causæ, statuit.

Th. 5. Verùm rectius instrumentum & vera proprièquè dicta causa, & vera causa efficiens dicitur. Etenim propriè dictam esse causam ex eo constat, quod in effectum reverà influat, licet virtute ab agente principali elevatâ. Influit quippe serra in producendam mensam, influit penna in formandas literas &c. Porro quia influit activè in effectum, ceu infra fusiùs probabimus, reverà etiam causa efficiens est, nec ad genus causæ efficientis reducitur tantum ut famulus.

Th. 6. His præmissis, porro videndum, in quo ratio instrumenti consistat, & in quo reverà causæ principali contradistinguitur, cujus rei varias varij afferunt causas. Alii enim instrumenti rationem in eo consistere putant, quod ei propriè & simpliciter actio non tribuatur: Alii in eo, quod non influat propriâ ac sufficienti virtute in effectum: Alij in eo, quod solùm agat, ut motam ab alio. Verùm quod hi omnes rationem causæ instrumentalis sufficienter non explicent, prolixè explicat Svarez. Met. disp. 17. s. 2. n. 7. 8. seqq. rationesq; ac difficultates (quas ob chartæ angustiam huc transferre non licet) quibus urgentur, monstrat.

Th. 7. Sunt & alij, juxta Svarezium c. 1. n. 10. Scotus, Paludanus, Capreolus &c. qui instrumenti rationem in eo consistere putant,

putant, quod suâ actione non attingat immediatè effectum seu formam, sed aliquid prævium ex quo talis forma resultat, quam proximè & in se instrumentum non attingit. Quibus ipse quoque videtur ad stipulari D. Thomas part. I. summ. Theol. q. 45. art. 5. Sed nec sic sufficienter explicatur instrumenti ut sic natura. Licet enim non negemus instrumentum interdum non attingere immediatè effectum, illud tamen semper non fieri faciliè exemplis probatur. Phantasma v. g. est instrumentum intellectus agentis ad imprimendam intellectui passibili speciem intelligibilem, quod tamen ipsam immediatè attingit speciem in se. Sic cum sigillo imprimitur ceræ similis figura, sigillum immediatè illam attingit, principalis causa neutiquam. Hinc rectè Suarez. c. l. n. 12. *Tribus*, inquit, *modis intelligi* potest instrumentum concurrere ad affectum principalis agentis, scil. vel tantum remotè, attingendo aliquid prævium, vel tantum proximè, nempe attingendo immediatè formam intentam à principali agente, vel simul utroq; modo: sed ratio instrumenti non limitatur ad priorem modum, esto interdum ita possit concurrere.

Th. 8. Hisce ergò modis omnibus remotis dicimus instrumentum, prout hoc loco accipitur, seu causam instrumentalem principali contradistinctam esse causam efficientem, quæ influit in effectum à causa principali intentum producendum per virtutem effectum ignobiliorem, elevatam tamen à causâ principali. Sic v. g. ferra influit in effectum v. g. mensam, & per virtutem propriam, & per virtutem à causâ principali elevatam. Sic oculus est instrumentum visionis, videtq; & virtute sibi propriâ, insitâ ac naturali, & virtute causæ principalis *ut quo*, animæ puta, ejusq; potentiâ vivâ. Atq; hoc modo explicatâ instrumenti naturâ cessant omnes difficultates in præcedentibus thesibus tactæ.

Th. 9. Hinc quoq; patet duplici modo differre instrumentum à causa principali, sicuti docet *Pl. Rev. Dn. D. Scharfius Theor. Transcend. disp. 10. app. 4. §. 21. p. 655. & Excell. Sperling. Instit. Phys. l. 1. c. 5. p. 180.* nempe 1. *Fine*, quem causa principalis per se intendit, instrumentum verò eatenus tantum, quatenus à principali ad eum invitatur. Deinde 2. *Modo agendi*. Principalis enim causa virtute

agit propriâ, instrumentalis ut instrumentalis in virtute principa-
lis, cum non habeat ex sese vires sufficientes ad effectum producen-
dum, atq; sic altera dirigit, altera dirigitur.

Th. 10. Requiritur itaq; ut aliquid verè sit instrumentum
1. ut *serviat alterius fini, seu ut per se finem non intendat*, sed eatenus
saltem, quatenus à principali causâ ad eum dirigitur & invitatur.
Instrumentum enim non potest moveri ac impelli sine, cum pro-
prias easq; in se terminatas utilitates non habeat, sed tota ejus actio
suscipiatur ad promovendum effectum, quem causa intendit prin-
cipalis. V. g. sit efficienda mensa, ad cujus productionem utitur
arcularius, ut causa principalis, ferrâ vel dolabrâ, ut instrumento;
Hic efficienda mensa neutiquam movet ferram vel dolabram
ad sui productionem, sed ipsum potius artificem, inde quoq; ex
productâ mensâ instrumentum nullas omninò in se terminatas ac-
cipit utilitates.

Th. 11. Requiritur 2. ut aliquid sit instrumentum, *ut reve-
rà influat in effectum causæ principalis*. Quod si enim non agit, causa
efficiens non est; si non influit, causa planè non est. Hinc rectè
Thomistæ duplicem attribuunt instrumento actionem, *Unam*,
quâ agit propriâ virtute, & quæ ab ipsius pendet formâ: *Alteram*,
quæ propriè instrumentalis, ad quam vi causæ principalis elevatur,
quæ tamen re non distinguuntur, uti *Ferrarien. & Cajetanus* conten-
dunt, quia interdum est unica actio, in quâ secundum rationem vel
accommodationem distinguimus aliquid quod instrumentum ex
propriis viribus potest attingere, & aliquid quod attingit ut instru-
mentum, juxta *Svarex* sæpius citato loco n. 12.

Th. 12. Rectè ergò à *Scheiblero Met. l. 1. c. 22. n. 84. p. 628.* culpatur
Keckermannus syst. Log. l. 1. c. 15. p. 135. instrumentum distinguens in co-
operativum & passivum, atq; hoc vocans id, quod in productione effectûs
sese non commovet, sed actionem principalis agentis planè passivè juvat.
Hoc enim passivum instrumentum reverà instrumentum non est.
Omne quippe instrumentum activum est, & omninò hic quoq; datur
actio rectissimè dicente *Pl. Rev. Dn. D. Calovio Met. div. p. 527.*

Th. 13. Non multùm à *Keckermanno* dissidet *Mendoza*,
qui in *disp. Phys. 9. sect. 12.* statuit, *causam instrumentalem ut sic non
esse*

esse activam. Instrumenta nempe naturalia tantum activa esse, artis vero instrumenta concurrere patiendopotius modum artificis, quam agendo, pro qua sententia citatur etiam Scotus l. 4. sent. dist. 1. quaest. 5. §. ad primam ergo quaest. Verum quamvis non negemus, actionem (vel modum potius actionis) quae ab instrumentali forma pendet, non adeo claram esse in artificialibus instrumentis, ijs tamen actionem omnem negandam esse non censemus. Sic terebra v. g. quando adhibetur ab artifice ad producendum aliquem effectum, revera agit, nec mere passivè se habet, patiendosaltem modum artificis. Ea vero actio pendet à propria forma vel secundum *Fonssecam lib. 5. Met. c. 2. q. 6. s. 6. p. 110. securis ex vi formae figuræq; ac materiae propriae, quae pondus ac duritiem habere debet, habet ut secare possit*, nec praecise vel ad quantitatem vel motum vel figuram, vel duritiem ejus restringenda est, sicuti videtur restringi à Mendoza quidem *ad motum*, utpote qui instrumenta, inquit, *artis non agunt nisi per motum localem* ead. *disp. Phys. 9. §. 108.* ab alio vero magni nominis viro ad duritiem. Ea etiã expulsio ligni, qua terebra lignum pellit, non formalis tantum est, pendens ab impossibilitate formali in ordine ad idem ubi inter ferrum & lignum intercedente, alias enim quodlibet ferrum licet non sit terebra, idem quod terebra praestat, praestare posset, cum eadem, quae in terebra, in quolibet etiam ferro sit impossibilitas formalis in ordine ad idem ubi; sed revera etiam activa.

Th. 14. Id quod praesertim patet ex natura causae efficientis, qualem & Keckermannus & Mendoza & Scotus faciunt instrumentum. Communiter enim dicunt causalitatem efficientis, seu id, per quod efficiens in actu secundo constituitur & formaliter causa est, esse actionem vel effectum, quod ipse etiam Keckermannus pariter ac Mendoza concedit. Hinc argumentum: omnis causa efficiens agit vel efficit aliquid: at omne instrumentum est causa efficiens, etiam ex Keckermanni & Mendozæ sententia, utpote qui dividunt causam efficientem in principalem & instrumentalem. E.

Th. 15. Inde quoq; est, quod, sicuti docet *CL. Stenius Reg. Philos. Tit. 3. p. 730.* Instrumentum etiam si determinetur à causa prin-

principali, vicissim tamen ipsam etiam determinat causam principalem, & id dupliciter: 1. *quoad speciem actionis vel effectus*, ut nimirum effectus sit talis speciei. Ut enim Faber secet, ferrâ opus est, nec dolabra id fieri potest. Determinat etiam instrumentum causam principalem 2. *quoad exercitium*, etiamsi non semper, si ita loqui licet, *positivè*, quia præsentem instrumento, ut principale agens operetur necessum non est, sicut in agentibus patet liberis; semper tamen *negativè*, quia agens principale agere non potest absente instrumento, faber non potest secare sine ferrâ, dolare sine dolabrâ.

Th. 16. Verissimum ergò illud commune & tritum est: *Instrumenti natura consistit in usu, vel, instrumentum extra usum nihil est*, quamvis valdè adhuc dubium sit, de primone actu, an de secundo id intelligendum veniat. Nos ab eorum stamus parte, qui de secundo id intelligunt actu, quando enim in usu & actu instrumentum non ponitur, instrumentum non est, sed aliud quiddam, uti loquitur B. Dn. D. Jac. Martini Exer. Met. 4. Tb. 5. p. 164.

Th. 17. Antequam autem nostram hanc sententiam probeamus, prænotamus 1. Distingvendum esse *inter instrumentum secundum formalem suam rationem, & rem, quæ ab usu, ad quem destinatur, potest sustinere denominationem instrumenti*. Non enim negamus, ferram v. g. pendentem de pariete, aut cultrum in vagina reconditum essentiam suam extra usum quoque obtinere, interim tamen, si quis ijs in actu nunquam utatur, instrumenta ea esse negamus. Negamus quoq; ea per essentiam suam esse instrumenta, ut denominatio instrumenti illis corporibus prædicatione tribuatur essentiali, potest enim serra esse, potest culter esse, quo tamen artifex nunquam utatur ad producendum aliquem effectum, quod ad instrumentum requiri & jam probatum dedimus, & ipsi fatentur adversæ sententiæ fautores; pro quibus nihil quicquam facit *communis loquendi consuetudo, ferram & cultrum etiam, quando à nemine usurpantur, instrumenta vocans*; præterquam enim quod dici posset, ferram & cultrum extra usum non aliter vocari sic, quam oculum in macello jacentem, oculum, hîc non queritur, an sic vocetur,

cetur, sed an reverà instrumentum sit, id quod ex hâc appellatione probari nequit. Nihil quoq; pro ijs facit, quod *Aristoteles* 1. *Polit.* c. 3. *servum instrumentis annumeret, eumq; per instrumentum definiendum doceat.* Unde Magnus quidam vir pro stabiliendâ assertione: *securim v.g. esse instrumentum per essentiam suam, argumentatur: Si de servo qui est instrumentum morale, instrumentum per essentiam predicatur, quidni multò magis, vel aquè saltem de securi, quæ in instrumentis artificum est, & Physicum etiam quodammodo vocari potest, essentiali predicatione affirmetur, nihil inquam hæc pro contrariâ faciunt sententia, quippe 1. non nudis autoritatibus, sed rationibus pugnandum Philosopho est. Argumentum autem hoc nudæ Aristotelis innititur autoritati. 2. Neque in citato ibi capite 3. l. 1. *Polit.* Arist. quicquam de eo habet, quod servus per instrumentum definiendus sit, potius capite id sequente 4. servum dicit esse *ὅτι ὄργανον εἶδος & ὡς τὸ ὄργανον τῶν ὄργανων.* Sed esto 3. servum per essentiam suam esse instrumentum, nulla tamen adhuc firma est consequentia ab eo ad securim, vel simile aliud instrumentum. Esset enim argumentum à particulari ad universale, ut alias diversitatis rationes inter servum & securim consequentiam talem everrentes jam taceamus.*

Th. 18. Notandum 2. ducimus h. l. *instrumentum & causam instrumentalem equipollere planè contrà jam laudatum magni nominis virum, aliud esse instrumentum, aliud causam instrumentalem, ac instrumentum esse quidem speciem cause efficientis, id tamen ipsi convenire, non ut instrumentum est, sed ut positum in actu secundo, statuentem.* Cui repugnat communis horum terminorum usus, quibus indifferenter utuntur *Metaphysici*, ut æquipollentibus, cuius sui tamdiu insistimus, donec valida nobis afferatur ratio, ut recedamus, urgens. Præterstantibus ipsius hypothesibus, dari poterit causa instrumentalis, quæ non sit instrumentum. h. e. aliquid in actu secundo positum, quod non habeat actum primum. Hunc enim talem describit, sive talem vult esse in subjecto *δύναμιν*, ut id propterea existat vel factum sit, ut producere queat hoc *ἔργον*. Jam
B
verò

verò datur quoddam instrumentum, scilicet, quo quis per accidens
 utitur, quod tamen non propterea existit vel factum est, ut faciat
 hoc ἔργον, v. g. si lapide fortè fortuna manibus exposito clavum,
 quis agat in parietem, ille lapis reverà instrumentum esset, utpote,
 qui movetur ab aliquo principali agente, & ita quidem, ut virtus
 ejus extollatur ad effectum producendum, cui per se est impar; in-
 terim tamen ob illud ἔργον non existeret. Nec avertit hoc, quod
 ibidem habetur, instrumentum esse ex analogis, atq; dici præcipuè de
 eo, cui est δύναμις ad usum aliquem, ita ut propter ipsum factum sit; mi-
 nus verò præcipuè de eo, quo ἐνεργεία utimur ad aliquid efficiendum,
 licet eà de causâ ipsum non sit factum. Quod si enim intelligitur ibi a-
 nalogia, quam vocant proportionis, sicuti mihi videtur, ut quod
 minus præcipuè vocatur, instrumentum, non nisi improprie & se-
 cundariò ita vocetur, imò instrumenti destituatur formali, eam
 planè negamus, cum etiam posteriori modo accepto instrumento
 definitio instrumenti reverà competat: sin verò analogia intelli-
 gitur attributionis, præsertim intrinsecæ, eam largiri quidem
 possemus, sed hoc modo data non tollitur difficultas.

Th. 19. His jam prænotatis pro stabiliendâ nostrâ sententiâ,
 quod ad instrumentum requiratur actus quoq; secundus, præcipuè
 indolem causæ efficientis urgemus, cujus causalitas communiter con-
 stituitur actio vel effectio, quicquid contravelint *Sonzinas, Fonseca*
vel alij. Hinc argumentum: omnis causa efficiens constituitur
 per actum secundum, ita ut id, quod potentiam tantum habet a-
 gendi, non autem agit, non sit reverà causa efficiens: At instru-
 mentum est species causæ efficientis. E. Minor communi, atque
 apud omnes Metaphysicos receptæ nititur distinctioni causæ effi-
 cientis in principalem & instrumentalem. Hinc est, quod in-
 strumenta semper à fine & operibus definiantur & iis discernantur.
Sic Aristoteles l. 1. de partibus animalium c. 5. hæc habet: Cum instru-
mentum omne rei alicujus gratiâ sit, & partes corporis quasq; gratiâ
esse alicujus videamus: id autem ipsum esse alicujus gratiâ non nisi pro a-
liquâ actione sit (τὸ ὅν ἐνεργεῖα πρὸς τὴν) patet jam totum etiam
corpus consistere alicujus gratiâ actionis plenioris. Non enim sectio serræ
gratiâ

gratia facta est, sed serra sectionis gratia, cum sectio quaedam usus sit.
Quibus verbis Philosophus, non tantum omne instrumentum alij
cujus gratia esse asserit, sed & illud, cujus gratia est, actionem, u-
sum expressè vocat, atque sic ad omne instrumentum actionem re-
quirit. Plura tam ex Aristotele, quam aliis autoribus huc faci-
entia loca videre qui vult potest citata apud *B. Jac. Martini Exerc.*
Met. 4. Tb. 5 p. 164.

Th. 20. Hæc autem actio ita comparata sit necesse est, ut
fiat in virtute causæ principalis, atque sic virtus instrumenti eleve-
tur ad effectum suam virtute superiorem. Dicitur hinc instrumen-
tum ignobilius effectui, non quidem semper quoad suam entita-
tem, semper tamen quoad virtutem & modum agendi ad producti-
onem effectus requisitum, uti rectè observat *Ebelius disp. Met. 24.*
sect. 2. p. 415.

Th. 21. Afferendæ jam adhuc essent & explicandæ instru-
menti distinctiones, quæ à variis variæ dantur. *Aristoteles l. 1. Po-*
lit. c. 4. Instrumenta distinguit in animata & inanimata, item in
effectiva & activa. *Alij instrumentum aliud esse dicunt naturale,*
quod ad effectum concurrat per virtutem propriam quidem, sed inferioris
rationis, modo connaturali, saltem cum concursu Dei generali: aliud di-
vinum, quod à Deo elevatum concurrat cum speciali ejus auxilio ad effe-
ctum supernaturalem. Et hoc potè faciunt aliud Physicum, quod à
Deo elevatum per potentiam obedientialem activam cum speciali auxi-
lio verè in effectum supernaturalem influit: aliud morale, quod etsi in effe-
ctum non influit, sic tamen se gerit, ut ipsi attribuatur effectus, perinde
ac si verè influxisset in illum. Alij alias afferunt distinctiones. Ve-
rùm jam de iis ob chartæ angustiam nihil dicere possumus, quam-
vis isti videantur confundere instrumenta divina cum medijs, uti
vocari solent, quæ tamen non omninò idem sunt, sicut rectè docet
Pl. Rev. Dn. D. Scharfius Theor. Transcend. disp. 10. Append. 4. S. 24. p.
656. Duas tamen alias breviter adducemus distinctiones.

Th. 22. Est enim 1. Instrumentum aliud *necessarium*, aliud
arbitrarium. Necessarium est, quo causa principalis ad effectum
pro-

producendum carere nequit, sic oculus est necessarius ad videndum, auris ad audiendum, penna ad scribendum, &c. *Arbitrarium*, quo agens principale carere potest, modo velit, atq; sic eo liberè utitur, sic equus liberè adhibetur ad perficiendum iter, quod etiam pedibus perfici poterat.

Th. 23. Instrumentum 2. etiam distingui solet in *conjunctum*, & *separatum*, in quibus terminis, teste *Svarezio*, magna solet esse *equivocatio*. Potest autem instrumentum dici *conjunctum* cum principali agente, respectu cuius sic appellatur, *vel ab eo separatum*, dupliciter, *aut secundum esse*, *aut secundum causalitatem*. *Conjunctum secundum esse*, est id, quod unitum est aliquo modo, vel per contactum, vel per aliquam præsentiam, vel per aliquam unionem realem agenti principali. *Separatum secundum esse*, quod nullo modo agenti principali unitum est. Atq; sic juxta varios modos conjunctionis & separationis varietas esse potest in his terminis.

Th. 24. Instrumentum porro *conjunctum secundum causalitatem* est, quod ad causandum indiget actuali & proprio influxu, & causalitate principalis agentis. E contrario, *separatum secundum causalitatem* instrumentum esset, quod ad causandum non requirit specialem influxum & causalitatem principalis agentis. Sed de hoc, an detur vel dari possit, non immeritò dubitatur, imò illud dari posse, planè negamus, quia instrumentum omne agere debet in virtute principalis agentis, atq; sine illo nihil agit. Sed fusiùs hæc diducere præsens non patitur pagina. Sit ergò

SOLI DEO GLORIA.

05 A 1209

ULB Halle
003 764 63X

3



1207





